

VVALTHERVS CRONBERGVS ORDINIS THEVTONICO-
rum Magister.



VValtherus ex nobili familia Cronbergorum in Germania natus est. Is cum adoleuisset, se se ordini Theutonicorum coniunxit, & multa pre-clara facinora edidit. Itaq; cum Albertus Marchio 1527 fidem suam regi Poloniæ Sigismundo dedis-set, & dux Prussiæ factus esset, ab eius ordinis pro-ceribus Vualtherus ob uirtutes successit, & Magi-ster ordinis constitutus fuit. Postea uero in Augu-stanis comitijs 1530 ipsum Albertum coram Cæsa-re accusauit, atq; effecit, ut Carolus 14 Nouemb.to tam illam Alberti cum Polono transfectionem re-sciderit. Cum etiam Albertus in proposito mane-ret, Vualthero sollicitate 1532 à Cameræ iudicio pro-scriptus fuit, & Cæsar is contra Albertū sententia Ratisbonæ confirmata. Fuit huius Vualtheri passim in comitijs Imperij magna authoritas, præsertim No-ribergæ 1543. Nam sua integritate res cōmissas fideliter administrabat, atq; Ca-rolo Imperatori gratissimus erat. Tandem 1544 obiit, & Vuolphgangus ordinis Magister successit. Ioan. Sleid,